



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antonii Svcqv̄et E Societate Iesv Via Vitæ Æternæ

Sucquet, Antoine

Antverpiae, 1630

Cap. 36. de Nativitate Christi

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54856](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54856)

CAPVT XXXVI.

Meditatio de Nativitate Christi, quâ praxis methodi supradicta ostenditur, & ad charitatem accendimur.

COMPOSITIO LOCI, ut in imagine.

ORATIO, ut suprà, pro charitate obtinendâ.

PUNCTVM I. Considera mysterium hoc magnum, *Fides.*
 in quo Filius Dei, Sapientia æterna, & Verbum Patris
 factus est infans unius diei, super terram. Ergone cre- *2. Paral. 6.*
 dibile est, ut habitet Deus cum hominibus super ter-
 ram! si cæli cælorum non te capiunt, quanto minùs *Deus in pra-*
 præsepe hoc? Mirabile certè mysterium declaratur ho- *sepio, obstu-*
 die, innovantur naturæ jam exclamare licet, Memo- *peſce.*
 riam fecit mirabilium suorum misericors & miserator *Pſalm. 110.*
 Dominus. Nihil enim ita mirabile est, atque verbum
 hoc, quòd Deus manens Deus factus sit homo; & æter-
 nus, & Sapientia ipsa facta sit infans unius diei super
 terrâ. Et quorsum? ut æternùm viveres, immortalis est
 factus mortalis. *Aspira, ut sup. p. 8. Hæcine firma, &c. ibid.*

Mirabilis facta est scientia tua ex nobis, & non po- *Pſalm. 138.*
 terimus ad eam, quis cognovit sensum tuum, Domine,
 & quis consiliarius tuus fuit? Venite igitur, & videam- *Luca 2.*
 us hoc verbum, quod factum est, quod Dominus *Spes.*
 ostendit nobis; accedamus cum fiduciâ ad thronum *Fiducia in*
 misericordiæ ejus. Quid enim nobis denegare poteris, *Deum.*
 dulcissime Jesu, qui te ipsum nobis dare dignatus es?
 quid tuus Pater æternus, qui proprio filio suo non pe- *Pſalm. 39.*
 percit, sed pro nobis omnibus tradidit illum? Ecce, ec-
 ce, ô Jesu, salus mea, ego in peccatis conceptus sum, &
 circumdederunt me mala, quorum non est numerus:
 verumtamen jam non timebo; quoniam tu Emmanuel
 nobiscum es. non potes mihi negare munera tua, qui
 aperire mihi dignatus es viscera misericordiæ tuæ, in
 quibus nos visitasti oriens ex alto. Da mihi, Domine, *Luca 1.*

Kk 3

propter

*Charitas ad
quam Medi-
tatio dirigi-
tur.
Psal. 18.*

*Contritio.
Charitas
Dei quanta.*

Admiratio.

*Reprehensio
& invitatio*

*Phil. 2.
Matth. 10.*

*Interroga-
tio.*

*Pauci Chri-
stum imi-
tantur.*

Psal. 138.

propter gloriam nominis tui. ut hac fiducia plenus ser-
viam tibi in lætitiâ; & nulli omnino placere cupiam
nisi tibi, vel displicere timeam, cum tu unus omnia mi-
hi sis, Deus meus; nullum amem nisi te, aut propter te,
cum sis unicum bonum meum, & dignatus fueris mei
recordari in excelso folio gloriæ tuæ. Quem enim, be-
nignissime JESU, non accendat caritas & benignitas
tua, quæ jam apparet, & suo fulgore & calore nos li-
quefacit? exultat enim Majestas tua ut gigas ad curren-
dam viam, & à summo cælo egressio ejus, & occurfus
ejus usque ad summum ejus; nec est, qui se abscondat à
calore ejus. O charitas immensa, Deus meus, fac me u-
num tecum, sicut Pater & Filius unum sunt. Verè tristi-
tia est magna cordi meo, quòd peccata mea, N. haec-
tenus diviserunt inter me, & te; sed projice hæc, quæso,
post tergum tuum, ut caritatem tuam & humilitatem
imitari, & perfecte exprimere possim, hodie tali & tali
occasione, N. Quomodo enim denegare potero ope-
ram meam proximo meo, quantumvis abjecto, dum
intueor Majestatem tuam exinaniisse se, & formam
servi accepisse propter nos, cum adhuc inimici esse-
mus? Estne jam servus major domino suo? cur, obse-
cro, venisti ministrare, & non ministrari? certè ut carita-
tem nos doceres, & sanares vulnus gravissimum, su-
perbiam nostram. Et pigere potest, ô Domine, sequi ve-
stigiam tuam? Quis enim novisset precium ejus in terrâ hæc
operta mortis caligine, ubi peccatum & ignorantia in-
undaverant, nisi sic nos docuisses, Domine Deus meus,
exemplo tuo? Eheu, postquam non uno, sed pluribus
nobis caritatem commendare dignatus es, adhuc et-
jam sequi piget milites ducem, servos Dominum, sub-
ditos Regem, creaturas Creatorem! Imperfectum
meum viderunt oculi tui, miserere mei, & exaudi me,
quia in te solo confidit anima mea. Da mihi caritatem
perfectam, ut nullâ personarum habitâ ratione, omni-
bus, maxime adversariis, benefacere studeam, propter
nomen

nomen tuum. Obsecro te, Domine, memento, quoniam pro nobis natus & mortuus sis, & ne despicias hanc deprecationem & oblationem meam. *Obsecratio.*

Offero enim me tibi, ut sincerè te diligam, & omnem proximum similiter propter te: si enim amicos tantùm dilexero, nōne & Ethnici hoc faciunt? Orabo igitur & oro te intimo corde per gratiam tuam pro persequentibus me, benefaciam his qui oderunt me, ut inter filios Patris æterni connumerer, qui finit solem suum oriri super bonos & malos, & pluit super justos & injustos. Scio, non est hoc volentis, neque currentis; sed tui, Deus, miserentis: sine te enim nihil facere possumus, neq; sufficientes sumus cogitare aliquid ex nobis tamquam ex nobis; sed sufficientia nostra ex te uno est, etiam si videamus caritatem hanc maximo ad vitam esse præsidio & solatio: frater enim, qui adjuvatur à fratre in via hac difficili & periculi plenâ quasi civitas firma, & nihil tristius, quàm cum aliquo dissidere. Quæ enim non mala ejaculatur discordia? tripliciter certè animum fatigat, cogitationes ac memoriam fœdis implet imaginibus, linguam exacuit, & velut veneno inficit, juxta illud: Lingua eorum gladius acutus, & venenum aspidum insanabile; quibus opera prava respondent, fructus malitiæ. Quæ verò stultitia & insipientia, vitium præ virtute eligere, stultitiam præ prudentiâ, pusillanimitatem præ fortitudine, injustitiam præ justitiâ, intemperantiâ præ moderatione? istæ enim virtutes in caritate unâ concurrunt, cujus uberrimus & suavissimus est fructus; in memoria, in intellectu & voluntate. Sed videamus, anima mea, quæ hujus, quæ illius nobis sese offerant occasiones, ut illis utamur, has ejuremus & detestemur. N. Et verò quis est tam imprudens, qui suadeat alteri, quacumque occasione simultatem fovere, nisi amens ac improbus sit? nōne quod calx in muro, id caritas est cum proximo? corruet ille certè absque cemento; & solus stare non poterit in acie, quem

*Matth. 5.**Dissidens sui & confidentia in Deo.**Rom. 9.**2. Corint. 3.**Considera virtutis commoda, & vitii incommoda ad finem consequendum, Psalm. 65.**Occasiones virtutis attende.**Quod alteri suades, hoc fac.*

*Quid in
more opta-
ris.*

Matth. 7.

charitas commilitoni nō conjunxerit. Nunquam verò meliùs hoc apparet, quàm in mortis horâ. quis enim Christianus tum cum aliquo diffidere vult, cum ad iudicem ire parat, qui quâ mensurâ mensi fuerimus, remetiatur nobis?

*Quid in ju-
dicio?*

1. Pet. 2.

Verè enim in iudicio hæc una virtus causam obtinebit; quia charitas operit multitudinem peccatorum: & nudus apparebit, quisquis veste hæc nuptiali indutus non fuerit, projicietur que in tenebras exteriores.

*Quid in
æternitate
fecisse opta-
res?*

Itaque hanc unam peto à te, Domine, unam volo charitatem, & æternum volam; aut certè (quod absit) non voluisse me dolebo. Faciam igitur, ut occasio hujus non præterlabatur; quod in æternum me fecisse optabo, jam in tuo conspectu propono.

Credo tibi, &c. ut suprâ. pag. 7.

*Vide exem-
pla Sancto-
rum.*

Hoc est, quod sancti ita eam virtutem suis commendarint scriptis & exemplis: nihil aliud noverat, quàm caritatis legem prædicare discipulus ille, quem tu unice diligebas, bone JESU; sed & Ethnici, quibus, ô sol justitiæ, ortus non fuisti, quomodo nobis concordiam, quâ res parvæ crescunt, dilaudant?

*Quanta ex
virtute pax.*

Philip. 4.

Quanta autem hinc pax animi, quanta consolatio in Spiritu sancto, quam experti sunt sancti tui, & experiuntur omnes charitatis amatores. Pax certè hæc ex virtute vera dimanans, exsuperat omnem sensum, quia in pace factus est locus tuus, dulcissime IESU. Ubi autem tu es, non potest non esse gaudium in Spiritu sancto: uti tribulatio & angustia in omnem animam operantis malum.

*Quod nihil
sit, cur vitium
placeat.*

Ecquid tandem esse potest, quod me à virtute istâ divertat? an delectatio vana & fœda, haurienda ex terrimo lacu peccati? videtur illud ob amorem proprium, infundere cordi nostro nescio quid amarulentæ voluptatis; sed simul ac infudit, effluxit, & solum remanet pœnitere, inquietudo cordis & tristitia: si delectari libet, video & scio licet mihi ex te fonte bonorum omnium

omnium præsentissimo virtute duce haurire aquas in gaudio, quas qui biberit, adhuc sitiet absque dolore, & satiabitur absque fastidio, & lætabitur in te, summo bono. At nihil magis vulnerat cor meum, quam illud verbum & exemplum tuum, quo hanc notam statuisti filiis tuis; in hoc enim cognoscent omnes, quòd discipuli tui sint, si dilectione habuerint ad invicem: & potero quemquam averfari quantumcumque fuerit injurius mihi permittente te? Huc etenim spectant tot beneficia, quibus me prævenisti, ex infinita charitate tuâ, & quotidie prævenis; vis enim nos, amator hominũ trahere ad virtutem in funiculis charitatis. O quàm ardentem omnem virtutem, quam mihi proponit Majestas tua, complecti deberem, cum tot beneficiis, velut sagittis amoris, vulneras cor meum! Ingratitudo sanè maxima foret petenti hoc N. tibi Domino ac Deo meo, & munifico largitori, illud denegare: avertat hoc misericordia tua à servulo suo. Sed etiamsi, Dominus Deus meus, hæc ita se non haberent, nonne satius est tibi Regi regum, & Domino dominantium per virtutem servire, quàm acerbissimo hosti nostro per peccatum gratis venundari, & durissimum subire jugum crudelissimi tyranni? id est peccati & dæmonis. Ah, numquam veniat mihi vel alicui in mentem sic insanire, ut de summo bono derelicto, & Rege summo, quis adhæreat summo malo, & capitali hosti, illectus momentaneo fortè gaudio! O cæcitas humana! ô insipientia nostra! ô quàm vani filij hominum in stateris! Tu enim es potentissimus, sapientissimus, fons omnium bonorum, à tua liberali manu omnia nobis bona venerunt, tu solus satias & replet cor nostrum, ubique præsens es, & ad te me trahit virtus, invitat benignitas tua, & cogit charitas. mihi itaq; adhæreere tibi bonum est, & ponere in Domino meo spem meam. Vacate & videte, mortales. quàm suavis sit Dominus, quàm dignus accipere gloriam & honorem. Filii hominum usquequo

*Vide Christi
exemplum &
doctrinam.
Ioan. 13.*

*Quantis nos
beneficiis
Deus ad
virtutem
invitet.*

*Charitatis
commendatio.*

*Vanitas ho-
minum.*

Psal. 72.

Psal. 45.

Psal. 4.

Psal. 99.

gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? scitote, quoniam Dominus ipse est Deus; ipse fecit nos, & non ipsi nos.

Petitio.

Eia Domine, hæc scio, sed humillimè rogo, da quod jubes, & jube quod vis. Jubes amare, sic & sic concede illud mihi, & respice de excelso solio gloriæ tuæ laborantem & naufragum in hoc mari; siquidem contrarius nobis est ventus, & vide ô Jesu, vide ut corpus quod

Sap. 9.

corrumpitur, aggravet animam, & terrena habitatio deprimat sensum cælestia cogitantem. Respice, Pater æterne, ad caritatem Filii tui, qui dilexit nos, & lavit à peccatis nostris in sanguine suo. Audi pro nobis supplicantes Sanctos tuos: clamat sanguis & merita eorum pro nobis miseris, ut consequamur auxilium gratiæ tuæ, & virtutes nobis necessarias exercere valeamus, illâ occasione N. Suppliciter etiam te rogo, Deus meus, ut

Apoc. 1.

Ecclesiæ tuæ gemitus exaudire digneris, & omnes N. pro quibus orare debeo, in benedictionibus dulcedinis tuæ prævenire.

Psal. 10.

Vides, quomodo in Nativitatis mysterio, Primò, fides, spes & charitas exercentur: Deinde quomodo ex circumstantiis, virtutis aliquod documentum eliciatur; ad quod postmodum varii stimuli adhibentur, quibus voluntas ad virtutem eandem complectendam

urgeatur.

Vti potes hoc modo in omni materiâ.

Idem, ut suprâ dictum est, fieri potest, si quis sententiam aliquam pro materiâ meditationis habeat, seu etiam aliquam creaturam consideret, Nulla siquidem est, quæ non enarrat gloriam Dei, & ad rectè vivendum documentum aliquod præbeat. ideoque mittitur à Sapiente ad formicam piger, dicente. Vade ad formicam, ô piger, & considera vias ejus, & disce sapientiam, quæ cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat in æstate cibum sibi, & congregat in messe quod comedat. Usquequò piger dormies? quando confurges è somno tuo? paululum dormies, paululum dormi-

Prover. 6.

dormi-

dormitabis, paululum conferes manus ut dormias: & veniet tibi quasi viator egestas, & pauperies quasi vir armatus; si verò impiger fueris, veniet ut fons messis tua, & egestas longè fugiet à te.

CAPVT XXXVII.

De modo Meditandi per Fidei, Spei & Charitatis actus.

NUNC explicatum habes modum ampliandi affectus, obeundo locos aliquos divinæ hujus Rhetoricæ: sed & diversos meditandi modos expositos vidiſti, atque insinuari inter eos aliquem, quo Fides, Spes, & Charitas in primis exercentur, tanquam virtutes, quæ merito, utpote Theologales, principem locum obtinent. Quia tamen ille modus præ cæteris excellentiam aliquam habet, & simul non tam obuius est; non obiter, sed cum cura explicandus videtur. Faxit divina bonitas, à quo omne bonum ac donum est, ut sit ad nominis ejus gloriam, & animarum salutem.

Principiò igitur, ut supra monui, quidquid divinâ potentia creatum est, si diligenter inspiciamus, nobis liber vitæ esse potest: cæli enim enarrant gloriam Dei, & omnis creatura clamat hæc tria, Accipe, redde, cave; accipe me à Deo donum, redde ei gratias, cave abuti ad contumeliam largitoris, & ad interitum, quod concessum tibi est ad vitam. Ex omni enim creaturâ documentum vitæ elicere possumus, & hoc ipsum quasi à Deo nobis non dictum tantum, sed scriptum characteribus creaturarum considerare. Rursum quidquid Sapiencia æterna nobis dignata fuit revelare, hoc unum spectat, ut intelligamus voluntatem ejus & consilia illius, ut nos oves Christi ejus pietissimâ misericordiâ vitam habeamus, & abundantius habeamus, ut ipse dignatus est ore suo aperire, quo eructavit abscondita à constitutione mundi: Omnis enim Scriptura divinitus

Omnis creatura est homini liber vite.

Omnis Scriptura nos docet.